

Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet a vobis. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo. Miseri estote, & lugete, & plorate: risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.

R. In toto corde meo, alleluia, exquisivi te, alleluia: Ne repellas me à mandatis tuis, alleluia, alleluia. *V.* Benedictus es tu Domine, doce me justificationes tuas. Ne repellas. Glória Patri. Ne.

Lectio iij.

Nolite deträhre alterutrum fratres. Qui detrabit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrabit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex. Unus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare. Tu autem quis es qui iudicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem animum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur: pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit: & si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.

Te Deum laudamus. 13.

Ad Benedictus, Antiphon.

Isti sunt sermones, quos dicebam vobis, cum essem vobiscum, alleluia, alleluia.

Ad Vesperas, nisi occurrat Festum novem Lectionum, à Capitulo fit de S. Maria. cxxix.

SABBATO.

De Epistola beati Jacobi Apostoli.

Lectio j. Cap. 5.

Agite nunc divites, plorate inulantes in miseris vestris, quæ advēniet vobis. Divitiæ vestre putrefactæ sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum, & argentum vestrum arguēnavit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui mesuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit. Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis. Addixistis, & occidistis justum, & non restitit vobis.

Lectio ij.

Patiētes igitur estote fratres usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, & serotinum. Patiētes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit. Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut non iudicemini. Ecce iudex ante januam assistit. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ. Prophetas: qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & misericors.

Lectio iij.

An te omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non: ut non sub iudicio decidatis.

Tri-

Tristatur aliquis vestrum? oret. Aliquo animo est? psallat. Infirmatur quis in vobis? indicat presbyteros Ecclesiæ, & oret super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro vicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.

Ad Vesperas, Capitulum.

Jacobi 1. 4.

Charissimi, Estote factores verbi, & non auditores tantum: fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, & non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum navitatis suæ in speculo: consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.

Hymnus.

Ad regias agni dapes
Stolis amici candidis
Post transitum Maris rubri
Christo canamus Principi.
Divina ejus charitas

Sacrum propinat sanguinem,
Almique membra corporis
Amor sacerdos immolat.
Sparsu cruorem postibus
Vastator horret Angelus:
Fugitque divisum mare,
Merguntur hostes fluctibus.

Jam Pascha nostrum Christus est,
Paschalis idem victima,
Et pura puris mentibus
Sinceritatis azyma.

O vera cœli victima,
Subiecta cui sunt tartara,
Soluta mortis vincula,
Recipita vitæ premia!
Victor subactis inferis
Trophæa Christus explicat,
Cœloque aperto, subditum
Regem tenebrarum trahit.

Pars Hymnalis.

Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium,
A morte dirâ criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclyto,
In sempiterna secula. Amen.

V. Mane nobiscum Domine, alleluia.
R. Quoniam advesperasci, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.
Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: pœtite & accipietis, alleluia.

Oratio.

Deus, quæ bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis; ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt; & te gubernante, eadem faciamus. Per Dominum.

Deinde fit *Commem. de Cruce, Antiphona.* Crucem sanctam sublevis, qui infernum confrégit, accinctus est potentia, surrexit die tertia, alleluia. *V.* Dicite in nationibus, alleluia. *R.* Quia Dominus regnavit à ligno, alleluia.

Oratio.

Deus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici à nobis expelleres potestatem: concede nobis famulus tuis; ut resurrectionis gratiam consequamur. Per eundem Dominum.

D O M I N I C A V.

Post Pascha.

Ad Matutinum, Invitatorium.
Surrexit Dominus verè, * Alleluia.
Psalmus. Venite, exultemus. 1.

Hymnus.

Rex sempiternæ Cœlitum,
Rerum Creator omnium,
Æqualis ante secula
Semper Patenti Filius.
Victor subactis inferis
Nascēte qui mundo Faber
Imaginem vultus tui
Tradens Adamo, nobilem
Limo jugasti spiritum.

Kk

Cum

Cum livor & fraus dæmonis
Fœdasset humanum genus:
Tu carne amictus, perditam
Formam reformas Artifex.

Qui natus olim è Virgine,
Nunc è sepulchro nasceris,
Tecumque nos à mortuis
Jubes sepultos surgere.

Qui Pastor æternus gregem
Aqua lavas baptismatis:
Hæc est lavacrum mentium,
Hæc est sepulchrum criminum.

Nobis diu qui debita
Redemptor affixus cruci,
Nostræ dedisti prodigus
Pretium salutis sanguinem.

Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Patre, ac Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

In primo Nocturno, Antiphona.
Alleluia, & Psalmi de Dominica, ut
in Psalterio. 2. Qui dicuntur in quo-
libet Nocturno sub una Antiphona.
Incipit Epistola prima beati Petri
Apostoli.

Lectio j.
Petrus Apostolus Jesu Christi,
electis advenis dispersionis Pon-
ti, Galatiæ, Cappadociæ, Asia, &
Bithyniæ, secundum præscientiam
Dei Patris, in sanctificationem Spi-
ritus, in obedientiam & asperum
sanguinis Jesu Christi: Gratia
vobis, & pax multiplicetur. Bene-
dictus Deus & Pater Domini nostri
Jesu Christi, qui secundum misericor-
diam suam magnam regenera-
vit nos in spem vivam, per resur-
rectionem Jesu Christi ex mortuis,
in hereditatem in corruptibilem,
& incontaminatam, & immarcescibilem,
conservatam in caelis
in vobis, qui in virtute Dei custo-

dimini per fidem in salutem, paratam
revelari in tempore novissimo.
R. Si oblitus fuero tui, alleluia, obli-
viscatur mei dextera mea: Adhaereat
lingua mea faucibus meis, si
non meminero tui, alleluia, alleluia.
Y. Super flumina Babylonis illic
sedimus & flevimus, dum recorda-
remur tui Sion. Adhaereat.

Lectio ij.
In quo exultabitis, modicum nunc
si oportet contristari in variis
tentationibus: ut probatio vestre fi-
dei multo pretiosior auro (quod per
ignem probatur) inveniatur in lau-
dem, & gloriam, & honorem in re-
velatione Jesu Christi: quem cum
non videritis, diligitis: in quem
nunc quoque non videntes creditis:
credentes autem exultabitis letitia
inenarrabili, & glorificata: reportan-
tes finem fidei vestre, saltem ani-
marum. De qua salute exquisierunt,
atque scrutati sunt prophetae, qui de
futura in vobis gratia prophetave-
runt: scrutantes in quod, vel quale
tempus significaret in eis Spiritus
Christi: prænuntians easque in Chris-
to sunt passionibus, & posteriores glori-
as: quibus revelatum est quia non
sibi metipsis, vobis autem ministrabant
ea, quæ nunc nunciata sunt vobis
per eos, qui evangelizaverunt vobis,
in Spiritu sancto misso de caelo, in
quem desiderant Angeli prospicere.
R. Vidérunt te aqua, Deus, vidérunt
te aqua, & timuerunt: Multitudo
sonitus aquarum. vocem decurrunt
nubes, alleluia, alleluia, alleluia.
Y. Illuxerunt conruscationes tue
orbi terræ: vidit, & commota est
terra. Multitudo.

Lectio iij.
Propter quod succincli lum-
bos mentis vestre, sobrii per-
fectè sperate in eam, quæ offertur
vobis, gratiam, in revelationem
Jesu Christi: quasi filii obedientiæ,
ita,

tiæ, non configurati prioribus igno-
rantie vestre desideris: sed secun-
dum eum, qui vocavit vos, Sanctum:
& ipsi in omni conversatione sancti-
sitis: quoniam ego Sanctus sum. Et
si patrem invocatis eum, qui sine
acceptioe personarum judicat se-
cundum uniuscuiusque opus, in timo-
re incolatus vestri tempore conver-
samini. Sciétes quod non corrupti-
bilibus auro, vel argento redempti
estis de vana vestra conversatione
paternæ traditionis: sed pretioso
sanguine quasi igni immaculati Chris-
ti, & incontaminati: præcogniti qui-
dem ante mundi constitutionem, ma-
nifestati autem novissimis tempori-
bus propter vos, qui per ipsum fide-
les estis in Deo, qui suscitavit eum
à mortuis, & dedit ei gloriam, ut
fides vestra, & spes esset in Deo.

R. Narrabo nomen tuum fratribus
meis, alleluia: In medio Ecclesiæ
laudabo te, alleluia, alleluia. **Y.** Con-
fitebor tibi in populis Domine, &
psalmum dicam tibi in Gêntibus. In
medio. Glória Patri. In medio.
In secundo Nocturno, Antiphona.
Alleluia. Psalmus. Conserva, cum
reliquis ut in Psalterio, 8.

Ex libro Sancti Ambrósii Episcopi
de Fide resurrectionis.

Post medium.

Lectio iv.
Quoniam Dei mori non poterat
sapientia, resurgere autem non
poterat quod mortuum non
erat, assumitur caro qua mori pos-
set: ut dum moritur quod solet,
quod mortuum fuerat hoc resurre-
ret. Neque enim poterat esse nisi
per hominem resurrectio: quoniam
sicut per hominem mors, ita & per
hominem resurrectio mortuorum.
Ergo resurrexit homo, quoniam ho-
mo mortuus est: resuscitatus homo,
sed resuscitans Deus. Tunc secun-

dum carnem homo, nunc per om-
nia Deus. Nunc enim secundum car-
nem jam non novimus Christum, sed
carnis gratiam tenemus, ut ipsum
primitias quiescentium, ipsum pri-
mogénitum ex mortuis noverimus.
R. In Ecclesiis benedicite Deo, alle-
luia: Domino de fontibus Israel,
alleluia, alleluia. **Y.** Psalmum di-
cite nomini ejus, date gloriam laudi
ejus. Domino.

Lectio v.

Primitiæ itique ejusdem sunt
generis atque naturæ, cujus &
reliqui fructus: quorum pro latiore
proventu primitiva Deo mûnera de-
feruntur, sacrum munus pro omni-
bus, & quasi reparata quedam liba
naturæ. Primitiæ ergo quiescentium,
Christus. Sed utrum suorum quies-
centium, qui quasi mortis exortes
dulci quodam sapore tenentur, an
omnium mortuorum? Sed sicut in
Adam omnes moriuntur, ita & in
Christo omnes vivificabuntur. Ita-
que sicut primitiæ mortis in Adam,
ita etiam primitiæ resurrectionis in
Christo omnes resurgunt. Sed nemo
desperet, neque justus doleat com-
mune consortium resurgendi, cum
præcipuum fructum virtutis expet-
tet. Omnes quidem resurgent, sed
unusquisque, ut ait Apostolus, in
suo ordine. Communis est divine
fructus clemenciæ: sed distinctus
ordo meritorum.

R. In toto corde meo, alleluia, ex-
quisivi te, alleluia: Ne repellas me
à mandatis tuis, alleluia, alleluia.
Y. Benedictus es tu Domine, do-
ce me justificationes tuas. Ne.

Lectio vi.

Adveritimus, quam grave sit
sacrilegium, resurrectionem
non credere. Si enim non nasce-
rémus, ergo Christus gratis mor-
tuus est, ergo Christus non resur-
rexit. Si enim nobis non resurrexit,

Ala

ôique non resurrexit, qui sibi cur-
resurgeret, non habebat. Resurrexit
in eo mundus, resurrexit in eo cœ-
lum, resurrexit in eo terra. Erit enim
cœlum novum, & terra nova. Sibi
autem non erat necessaria resurrex-
tio, quem mortis vincula non tene-
bant. Nam etsi secundum hominem
mortuus, in ipsiâ tamen erat liber in-
fernis. Vñ scire quam liber? Factus
sicut homo sine adiutorio, in-
ter mortuos liber. Et bene liber, qui
se poterat suscitare, juxta quod
scriptum est: Sôlvite hoc templum,
& in triduo resuscitabo illud. Et be-
ne liber, qui alios descenderat re-
dempturus.

R. Hymnum cantate nobis, alleluia:
* Quomodo cantabimus canticum
Dômini in terra aliena? alleluia, alle-
luia. * Illic interrogaverunt nos,
qui captivos duxerunt nos, verba
cantiônium. Quomodo. Glôria Pa-
tri. Quomodo.

In tertio Nocturno, Añã. Alleluia.
Psalmus. Cœli enarrant, cum reli-
quis in Psalterio. 11.

Lectio sancti Evangelii secundum
Joannem.

Lectio vij. Cap. 16. c

In illo tempore: Dixit Jesus disci-
pulis suis: Amen, amen dico vo-
bis: si quid petieritis Patrem in nô-
mine meo, dabit vobis. Et reliqua.
Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tractatu 102. in Joannem.

Domini verba nunc ista tra-
tanda sunt: Amen, amen dico
vobis: si quid petieritis Patrem
in nomine meo, dabit vobis. Jam
dictum est in superioribus hujus Do-
minici sermônis partibus, propter
eos, qui nonnulla petunt à Patre in
Christi nomine, nec accipiunt: non
peti in nomine Salvatoris, quid-
quid petitur contra rationem salutis.
Non enim sonum literarum ac sylla-
barum, sed quod sonus ipse signifi-

cat, & quod eo sono recte ac veraci-
ter intelligitur, hoc accipiendum est
dicere cum dicit, In nomine meo.
R. Deus canticum novum cantabo
tibi, alleluia: In psalterio decem
chordarum psallam tibi, alleluia,
alleluia. * Deus meus es tu, &
confitebor tibi: Deus meus es tu, &
exaltabo te. In psalterio.

Lectio vij.

Unde qui hoc sentit de Christo
quod non est de unico Dei Filio
sentendum, non petit in ejus nômi-
ne, etiam si non taceat litteris ac
syllabis Christum: quoniam in ejus
nômine petit, quem cogitat cum pe-
tit. Qui verò quod est de illo sentien-
dum sentit, ipse in ejus nomine pe-
tit: & accipit quod petit, si non con-
tra suam salutem sempiternam pe-
tit: accipit autem quando debet ac-
cipere. Quaedam enim non negan-
tur; sed ut congruo dentur tem-
pore differuntur. Ita sane intelligen-
dum est quod ait, dabit vobis: ut
ea beneficia significata sciântur his
verbis, quæ ad eos qui petunt,
proprie pertinent. Exaudiuntur quip-
pe omnes sancti pro seipsis, non
autem pro omnibus exaudiuntur vel
amicis, vel inimicis suis, vel quibus-
libet aliis: quia non utrumque die-
tum est, dabit; sed dabit vobis.

R. Bonum est confiteri Dômino,
alleluia: Et psallere, alleluia.
* In decachôrdo psalterio, cum
cântico, & cithara. Et psallere.
Glôria Patri. Et psallere.

Lectio ix.

Usque modò, inquit, non petistis
quidquam in nomine meo.
Petite & accipietis, ut gaudium
vestrum sit plenum. Hoc quod di-
cit, gaudium plenum, profectò
non carnale, sed spirituale gaudium
est: & quando tantum erit, ut ali-
quid ei jam non sit addendum, pro-
culdubio tunc erit plenum. Quid-
quid

quid ergo petitur quod pertineat ad
hoc gaudium consequendum, hoc
est in nomine Christi petendum, si
divinam intelligimus gratiam, si verè
beatam poscimus vitam. Quidquid
autem aliud petitur, nihil petitur:
non quia nulla omnino res est, sed
quia in tantæ rei comparatione quid-
quid aliud concupiscitur, nihil est.
Te Deum laudamus. 13.

Ad Laudes, Antiphona. Alleluia.
Psalmus. Dominus regnavit, cum
reliquis de Psalterio. 14.

Capitulum. Jacobi 1. d
Charissimi, Estote factores ver-
bi, & non auditores tantum:
fallentes vosmetipsos. Quia si quis
auditor est verbi, & non factor:
hic comparabitur viro consideranti
vultum nativitatis suæ in speculo:
consideravit enim se, & abiit, &
statim oblitus est qualis fuerit.

Hymnus.

Aurora cœlum purpurat,
Alter resultat laudibus,
Mundus triumphans jubilat,
Horrens ævernus infrenit,
Rex ille dum fortissimus.

De mortis inferno specu
Patrum senarum liberum
Educit ad vitæ jubar.
Cujus sepulchrum plurimo
Custode signabat lapis,
Victor triumphat, & suo
Mortem sepulchro funerat.
Sat funeri sat lacrymis,
Sat est datum doloribus:
Surrexit extingtor necis,
Clamat coruscans Angelus.
Ut sis perenne mentibus.

Paschale Jesu gaudium,
A morte dirâ criminum,
Vitz renatos libera.
Deo Patri sit glôria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paracelito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

V. In resurrectione tua Christe,
alleluia. **R.** Cœli & terra latentur,
alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.
Usque modo non petistis quidquam
in nomine meo: petite, & accipietis,
alleluia.

Oratio.

Deus, à quo bona cuncta pro-
cedunt, largire supplicibus
tuis, ut cogitemus, te inspirante, quæ
recta sunt; & te gubernante, eadem
faciamus. Per Dôminum.

Deinde fit Comm. de Cruce, Añã.
Crucifixus surrexit à mortuis, & re-
demit nos, alleluia, alleluia. **V.** Di-
cite in nationibus, alleluia. **R.** Quia
Dôminus regnavit à ligno, alleluia.

Oratio.

Deus, qui pro nobis Filium
tuum crucis patibulum subire
voluisti, ut inimici à nobis expel-
leres potestatem: concede nobis fa-
mulis tuis; ut resurrectionis gratiam
consequamur. Per eundem Dômi-
num nostrum.

Ad Tertiam, Capitulum. Charissi-
mi, Estote factores verbi, ut supr.
R. breve. Surrexit Dôminus de se-
pulchro, alleluia, alleluia. Surre-
xit. **V.** Qui pro nobis pendit
in ligno. Alleluia, alleluia. Glôria
Patri. Surrexit. **V.** Surrexit Dômi-
nus verè, alleluia. **R.** Et apparuit
Simoni, alleluia.

Ad Sextam, Capitulum.

Jacobi 1. d

Qui autem perspexerit in legem
perfectam libertatis, & per-
manserit in ea, non auditor
obliviosus factus, sed factor operis:
hic beatus in facto suo erit.

R. breve. Surrexit Dôminus verè,
* Alleluia, alleluia. Surrexit. **V.** Et
apparuit Simoni. Alleluia, alleluia.
Glôria Patri. Surrexit. **V.** Gavisus
sunt discipuli, alleluia. **R.** Vivo
Dômino, alleluia.

Ad Nonam, Capitulum.

Jacobi r. 2

Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem, hac est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc saeculo.

R. breve. Gavisi sunt discipuli, Alleluia, alleluia. Gavisi. **V.** Viso Domino. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Gavisi. **V.** Mane nobiscum Domine, alleluia. **R.** Quoniam advesperascit, alleluia.

Ad Vesperas, Antiphona. Alleluia. Psalmus. Dixit Dominus, cum reliquis de Psalterio. 100. Capitulum. Charissimi, Estote factores verbi. Hymnus. Ad regias Agni dapes, ut supra. 513. **V.** Mane nobiscum Domine, alleluia. **R.** Quoniam advesperascit, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, alleluia. Oratio. Deus, à quo bona cuncta, ut sup. 517.

Deinde fit Commem. de Crucis, Antiphona. Crucem sanctam subit, qui infernum confrégit, acinctus est potentia, surrexit die tertia, alleluia. **V.** Dicite in nationibus, alleluia. **R.** Quia Dominus regnavit à ligno, alleluia. Oratio. Deus, qui pro nobis, ut sup. 517.

FERIA SECUNDA

In Rogationibus.

Si hodie occurrat Festum novem Lectionum, fit de eo, cum ix. Lectione de Homilia Vigiliae, & Commemoratione de Feria, ad Laudes tantum, contra. De Festo autem trium Lectionum fit tantum Commemoratio.

Ad Matutinum, Invitatorium. Alleluia, alleluia, * Alleluia. Psalmus. Venite, exultemus. 1. Hymnus. Rex sempiternae Coelium. 513. Antiphona & Psalmi de Psalterio. 39.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio i.

Cap. 11.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicit illi: Amice commoda mihi tres panes. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi. Lib. 7. in Luc. cap. 11.

Alius præcepti locus est, ut omnibus momentis, non solum diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur. Vides enim, quod iste qui media nocte perrexit, tres panes ab amico suo postulans, & in ipsa petendi intentione persistens, non defraudetur oratio. Qui sunt isti tres panes, nisi mysterii coelestis alimentum? Quod si diligas Dominum Deum tuum, non solum tibi, sed etiam aliis poteris emereri. Quis autem amior nobis, quam qui pro nobis corpus suum tradidit?

R. Dicant nunc qui redempti sunt, alleluia, * A Domino, alleluia, alleluia. **V.** Quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos. A Domino.

Lectio ij.

AB hoc media nocte panes David petiit, & accepit. Petiit enim, quando dicebat: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ideo meruit hos panes, quos apposuit nobis edendos. Petiit, cum dicit: Lavabo per singulas noctes lectum meum. Neque enim timuit ne excitaret dormientem, quem seipsum semper vigilantem. Et ideo scriptorum memores, noctibus ac diebus orationi instantes, peccatis nostris veniam postulemus.

R. Cantate Domino, alleluia, * Psalmum dicite ei, alleluia. **V.** Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus. Psalmum.

Lec-

Lectio iij.

Nam si ille tam sanctus, & qui regi erat necessitatibus occipatus, septies in die laudem Domino dicebat, matutinis & vespertinis sacrificiis semper intentus: quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius carnis ac mentis fragilitate delinquimus; ut de via lassus, & istius aevi cursu, ac vite hujus anfractu graviter fatigatus, panis refectionis deesse non possit, qui hominis corda confirmet? Nec solum media nocte Dominus, sed omnibus prope docet vigilandum esse momentis. Venit enim & vespertina, & secunda, & tertia vigilia; & pulsare consuevit. Beati itaque servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.

Hac nocte dicitur tertium Responsorium, quia non dicitur Te Deum laudamus. In duabus vero sequentibus Feriis dicitur.

R. Narrabo nomen tuum fratribus meis, alleluia: * In medio Ecclesiae laudabo te, alleluia, alleluia. **V.** Confitebor tibi in populis Domine, & psalmum dicam tibi in Gentibus. In medio. Gloria Patri. In medio.

Ad Laudes, Antiphona. Alleluia. Psalmus. Dominus regnavit, cum reliquis Antiphonis & Psalmis de Psalterio. 14.

Capitulum.

Rom. 6. b

Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Hymnus. Aurora coelum purpurat. **V.** In resurrectione tua Christe, alleluia. **R.** Coeli & terra laetentur, alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona. Petite, & accipietis: quarite, & inveniatis: pulsate, & aperietur vobis, alleluia.

Oratio.

Praesta, quae sumus omnipotens Deus; ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa omnia, tua semper protectione muniamur. Per Dominum nostrum.

Hae Oratio dicitur ad Laudes & per Horas, praeter Vesperas & hodie tantum. Duabus vero sequentibus Feriis dicitur Oratio Dominicae praecedentis Deus à quo bona cuncta, ut infra.

Hoc triduo qui non intersunt Processionibus Rogationum, privatim post Laudes dicant Litanias cum suis Precibus & Orationibus, sine Psalmis Penitentiaibus.

Ad Horas omnia dicuntur ut in feriali Officio tempore Paschali.

Vespera, nisi occurrat Festum novem Lectionum, dicuntur de Psalterio, cum Oratione Dominicae praecedentis. Si vero sequatur Festum Simplex, à Capitulo fit de Festo, cum Commemoratione de Cruce tantum, ut supra. 118.

Ad Vesperas, Antiphona. Alleluia. Psalmus. Dilixit, cum reliquis de Psalterio, 103, sub una Antiphona Alleluia.

Capitulum. Rom. 6. b

Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Hymnus. Ad regias Agni dapes. **V.** Mane nobiscum, ut supra. 503.

Ad Magnificat, Antiphona. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, alleluia.

Oratio. Deus, à quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis; ut cogitemus, te inspirante, quae recta sunt; & te gubernante, eadem faciamus. Per Dominum.

Kk 4

FE-

FERIA TERTIA

In Rogationibus.

Si hodie occurrat Festum Simplex, fit de eo sine Commemoratio de Feria, sed tantum de Cruce.

De Epistola prima beati Petri Apostoli.

Lectio i.

Cristo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desit a peccatis: ut jam non desideris hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam his, qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxurie confusionem, blasphemantes. Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos & mortuos. Propter hoc enim & mortuus evangelizatum est: ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu. Omnium autem finis appropinquavit.

R. In Ecclesiis benedicite Deo, alleluia, **V.** Domino de fontibus Israel, alleluia, alleluia. **Y.** Psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. Domino.

Lectio ii.

Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. Ante omnia autem, mutuum in vobismet ipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitalis invicem sine murmuratione. Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam ministrans, sicut boni dispensatores multififormis gratie Dei. Si quis loquitur,

quasi sermones Dei: Si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum: cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum: Amen.

R. In toto corde meo, alleluia, exquisivi te, alleluia: **V.** Ne repellas me a mandatis tuis, alleluia, alleluia. **Y.** Benedictus es tu Domine, doce me justificationes tuas. Ne repellas me. Gloria Patri. Ne repellas me.

Lectio iii.

Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione glorie ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, glorie, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut malèdicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat: gloriificet autem Deum in isto nomine. Quoniam tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei.

Te Deum laudamus. 13.

Ad Benedictus, Antiphona.

Oporebat pati Christum, & resurgere a mortuis, alleluia.

Oratio.

Deus, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis: ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt: & te gubernante, eadem faciamus. Per Dominum nostrum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem, alleluia.

FE-

FERIA QUARTA

In Rogationibus, Vigilia Ascensionis.

Si hodie occurrat Festum novem Lectionum, fit de eo, cum ix. Lectione de Homilia Vigiliae, & Commemoratio ad Laudes, ut infra. De Festo autem trium Lectionum fit tantum Commemoratio.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio i.

Cap. 17.

In illo tempore: Sublevatis Jesus oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi. Tractatu 104. in Joannem, sub medium.

Proterat Dominus noster, unigenitus & coæternus Patri, & forma servi, & ex forma servi, si hoc opus esset, orare silentio: sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem. Proinde eam, quam fecit orationem pro nobis, noram fecit & nobis: quoniam tanti magistri non solum ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis ad Patrem oratio, discipulorum est edificatio: & si illorum, qui hæc dicta aderant audituri, profecto & nostra, qui fueramus conscripta lecturi.

R. Deus canticum novum cantabo tibi, alleluia: **V.** In psalterio decem chordarum psallam tibi, alleluia, alleluia. **Y.** Deus meus es tu, & confiteor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. In psalterio.

Lectio ii.

Quapropter hoc quod ait, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum: ostendit, omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum qui tempori subditus non est: quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficiētes

habent, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credatur hæc hora, fato urgente, venisse, sed Deo potius ordinante. Nec siderea necessitas Christi connexit passionem: absit enim ut sidera mori cogerent siderrum conditorem.

R. Bonum est confiteri Domino, alleluia: **V.** Et psallere, alleluia.

Y. In decachordo psalterio, cum canticò & cithara. Et psallere. Gloria Patri. Et psallere.

Lectio iii.

Clarificatum a Patre Filium nonnulli accipiunt, in hoc quod ei non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Sed si passione clarificatus dicitur quanto magis resurrectio? Nam in passione magis ejus humilitas quam claritas commendatur, Apostolo teste, qui dicit, Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Deinde sequitur, & de ejus clarificatione jam dicit, Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit ei nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genua flectantur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Hæc est clarificatio Domini nostri Jesu Christi, quæ ab ejus resurrectione sumpsit exordium.

Te Deum laudamus. 13.

Ad Benedictus, Antiphona.

Pater, venit hora, clarifica Filium tuum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te, alleluia.

Oratio.

Deus, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis: ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt: & te gubernante, eadem faciamus. Per Dominum.

IN